

www.e-rara.ch

**Q. Septimii Florentis Tertulliani Carthaginensis presbyteri, Opera quae
hactenus reperiri potuerunt omnia**

**Tertullianus, Quintus Septimius Florens
Parisiis, 1608**

Stiftung der Werke von C.G.Jung, Zürich

Shelf Mark: Online

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-11127>

Argumentum libri de cultu foeminarum per Iacobum Pamelium.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

adulterio. Imitatur autem hunc locū S. Cyprian. l. de Pudic. his verbis: Adulterium fidelis nec in coloribus nouerit.

64. purpureas & earinas oues, &c.] Huc alludit idem B. Cyprianus lib. de Discipl. & hab. virg. Neque enim Deus coccineas aut purpureas oues fecit, (aut herbarum succis, id est virides seu earinas) & conchyliis tingere & colorare lanas docuit. Vtrumque autem imitatus est B. Hieronym. in vita B. Marcellae. In hunc autem locum pulcrè sic commentatur Rhenan. Gorziensis codex habet: arinas: nec refert, vtrumque Gracis vernum significat; quod tu hic pro viridi interpretare. Ambo vocabula coniuncta habes in illo lepidissimo Epigrammate de Luscinia, quae cicadem corripuerat, quod legitur titulo in Aues, Epigrammatum Gracorum l. i.

τοῦ ξέρον ἃ ξείνα, ἀειὼν ἡαίνα.

65. materiae ex Deo sunt, &c.] Etiam hunc locum bene explicat his verbis Rhenan. Sensus est: Materiae ex Deo sunt, sed tamen iste usus materialium nequaquam secundum diuinam voluntatem, quasi qui illic idè lateat, quaeritur, videlicet unde sint concha, hoc est ex quo mari, Iudico, aut Britannico, & qua dispositione decurrant, scilicet in monilibus & mureculis mulierum, & ubi collocentur.

66. sicut de ipsis suum volumen addidimus.] Haud dubie librum de Spectaculis intelligit, ubi de Panthera aliquid adnotauimus, c. 2. n. 6.

67. & vocem homini dedit, &c.] Hunc locum ad verbum ferè imitatur ubi supra B. Cyp. n. 43.

C A P. IX.

68. Nam vt quæque rerum, &c.] Postremum hoc caput inscripsimus: Quod omnis iste ornatus ad ambitionem pertineat.

69. ex possessionum distributione, &c.] Adnotatu dignus locus contra eos, qui possessiones omnes omnibus communes esse volunt, quippe quum distributionem earum à Deo ordinatam adserat. Siue autem mox legas: concupiscentiam concitat excuso, siue excitat cum MS. Vatic. cod. perinde est. ad posteriorem lectionem alludit magis tertius cod. MS. legens: excurat.

70. unde & nomen eius interpretandum, &c.] Elegans definitio ambitionis.

71. Non tanto maior, &c.] Non (inquit Rhenan.) pro: Annon, seu Nonne. Eodem modo dixit Exhort. ad castit. Non dicendum erit.

72. Breuiss. loculis, &c.] Intelligit (inquit Rhenan.) repositoria, in quibus monilia magnum patrimonium aquantia

seruantur, aut ipsa monilia, quæ vice loculorum sunt.

73. Vno lino, &c.] Summa hac (inquit idem) vices quinque mille aureorum coronatorum. Hoc imitatus D. Hieron. in vita Pauli Eremitæ dixit, Qui vno filo villarum insunt pretia. Atqui de Sestertijs vide nostras Adn. in B. Cyp. epist. 60. ad Episcopos Numidas n. 5.

74. Saltus & insulas, &c.] Hoc est (inquit Rhenan.) saltuū & insularum pretia. Sunt autem etiam insulae domus, quæ non communibus parietibus coniunguntur cum vicinis auctore Festo. Atqui in illo tenera ceruix, emphasis est in tenera, quemadmodum est in eo quod mox sequitur: Graciles aurium cutes. Similiter autem etiam B. Cyp. lib. de Bono pudic. Mirum negotium, mulieres ad omnia delicata, ad vitiorum sarcinas fortiores sunt viris.

75. Kalendarium expendunt] Kalendarium hic (eodem adnotante) significat eas tabulas domesticas, quæ non singulos dies sed menses singulos respiciunt. In his usuræ perscriptæ erant ad Kalendas exigendæ. Seneca epistola 88. Diutem (inquit) illum putas, quia aurea supellex etiam in via eum sequitur, quia in omnibus prouincijs arat, quia magnus Kalendarij liber voluitur. Signanter autem dixit expendunt, hoc est in extrema auri pellicula appendunt. De pretiosis manibus loquitur. Eponit autem seipsum, quum inquit: Hæ sunt vires ambitionis, tantarum usurarum substantiam vno & muliebri corpusculo baiulare. Similiter autem dixit B. Cyp. l. de Bono pudic. quorum pretia etiam sine artibus Kalendarium cuiusvis excedunt. ubi etiam aliquid adnotauimus n. 47.

76. & sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit.] Ita ex coniectura Latini, ommissa voce: in, supersua. Similiter B. Cyp. l. de Bono pudic. Quid quum digiti tali auro onerati nec intrare possunt, nec egredi? vtrum usus exposcitur, an partitionum (que per saccos pecuniarios intelligit hic Auctor) inanis pompa monstratur? Plin. l. 33. c. 2. ubi integram annulorum materiam latiss. tractat, inter cetera hæc habet, quæ ad loci huius intellectum facere putauit. Manus (inquit) & prorsus sinistra maximam auctoritatem conciliauerit auro. Et pag. sequ. Multis hoc modis vt cetera omnia luxuria variavit, gemas addendo exquisitis fulgoris, censuq; optimo digitos onerando. &: Singulis primò digitis annulos gerimos erat qui sunt minimis proximi postea pollicis proximo induere, deinde iuuat & minimo dare, Gallia Britanniaq; in medio dicuntur vsq; hinc nunc solus excipitur; ceteri omnes onerantur; atque etiam priuatim articuli minoribus alijs sunt qui tres vni minimo congerunt, iam alij pondera eorum ostentant.

ARGVMENTVM LIBRI DE CVLTV FOEMINARVM PER IACOBVM PAMELIVM.

IVSDEM penè argumenti est liber iste cum precedenti, præterquàm quod hic curam capilli & cutis magis peculiariter reprobet.

Primum verò pudicitiam, quæ ancillas Dei deceat, non in sola docet consistere carnis integritate, sed & cultus ac ornatus, vt à Gentilibus differant, simplici munditie.

Deindè quod studium placendi per decorem non re integra conscientia veniat, quippe quod & tentationibus viam aperiat, & spectatoribus sit periculo.

Quod item laude formæ frui ad gloriam, pertineat in carne; in qua non gloriandum, nisi quum propter Christum lacerata durauerit, vt spiritus in ea coronetur.

Neque verò in maritorum gratiam id fieri debere, quum fidelis maritus formam non spectet, infidelis suspectam habeat.

Maximè autem delinquere, quæ cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt, reprehendentes artificem Deum quum emendant.

Eas etiam quæ croco, vti Germanæ & Galla, capillum vertunt, malè sibi flâmeco capite auspicientes,

& cerebro perniciem referuantes.

VII. Nec minus illis, quæ nescio quas enormitates sutilum atque textilium capillamentorum alieni capitis, nunc in galeri modum vertici adfigunt, nunc collyridas quasdam cervicibus astruunt.

VIII. Magis adhuc, proprias formæ prestigias in viris improbari, ut fœminis placeant.

IX. Quinuerò & circa vestitum curandam esse impedimentorum amputationem; & si quas diuitiarum natalium vel dignitatum ratio compellat pompaticas progredi, sic agant quasi non utantur; non secus atque multi faciunt, spadonatui se adsignantes propter regnum Dei.

X. Nimirum à Deo non esse vestium colores & officinas, aurique opera & lapillos, sed ab angelis peccatoribus; & etiam si Esaias nullum cultum interdixisset, abstinere tamen debere quod non edificet.

XI. Nullam enim esse causam structius prodeundi, quum procedendi omnis causa sit tetrica; aut enim imbecillus aliquis visitandus, aut sacrificium offertur, aut verbum Dei administratur; ac si necessitas Gentilium amicitiarum eas vocet, esse debere inter ancillas Dei & diaboli discrimen.

XII. Prasertim quum lenocinia formæ magis conueniant; immò numquam non, prostitutis corporibus coniuncta esse & debita ex Scripturis constet.

XIII. Denique lucere debere opera earum, discutiendas delicias, quibus fidei virtus effeminari potest, quum tempora Christianorum, tunc vel maxime ferro transigerentur.

Ceterum librum hunc Tertulliani pater esse, tum ex eo quod isdem subinde verbis repetat quæ precedenti libro, tum quod ad verbum quædam hinc B. Cyprianus desumpserit lib. de Discipl. & habitu virgin. Quare recte eum agnouerunt pro fatu germano adhuc Manuscriptum Trithemius & Politianus ubi supra. Adidit primum ex Paterniacensi ac Hirsaugiensi, deinde & ex Gorziensi codicibus Frobenius; castigauit Sigismundus Gelenius ex Anglico Lalandi codice, nos denique iterum restituimus ex tribus libris MS. Vaticanis, auctiorem quoque nostris, ad Rhenani adiunctis. Adnotationibus.

Q. SEPTIMII FLORENTIS

TERTULLIANI DE CULTV

FOEMINARVM LIBER.

CAP. I.



1. Cor. 3.

NOILLÆ¹ Dei viui, conseruæ & sorores meæ, quo iure deputor vobiscum, postremissimus omnium, qui de meo iure conseruitij & fraternitatis audeo ad vos verba ista facere, non utique affectationi, sed affectationi procurans in causa vestræ salutis. Ea salus nec fœminarum modò, sed etiam virorum, in exhibitione præcipue pudicitiae statuta est.² Nam cum omnes templum simus Dei illato in nos & consecrato spiritu sancto, eius templi æditua & antistes pudicitia est,³ quæ nihil immundum nec prophanum inferri sinat, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat. Sed modò non de pudicitia,⁴ cui indicendæ & exigendæ sufficiunt: instantia ubique diuina præcepta, verum de pertinentibus ad eandem, id est qualiter vos incedere oporteat. Pleraque enim (quod ipsum, mihi reprehendendo in omnibus reprehendere Deus permittat) aut ignorantes simpliciter, aut dissimulantes audacter, ita ingrediuntur, quasi pudicitia in sola carnis integritate, & stupri auersione consistat, nec quicquam extrinsecus opus sit, de cultus dico & ornatus dispositione. Sed enim perseuerent in pristinis studiis formæ & nitoris sui, eandem sui circumferentes quam fœminæ Nationum, à quibus abest conscientia veræ pudicitiae: quia nihil verum in his quæ Deum nesciunt præsidem & magistrum veritatis.⁵ Nam etsi qua in Gentilibus pudicitia credi potest, usque adeo eam imperfectam & inconditam constat, ut licet animo aliquatenus tenax sui agat, in habitus tamē licentia sese dissoluat propter veritatem Gentilium, solatium appetendo cuius rei deuitat effectum. Quota denique est quæ nec placere quidem extraneis concupiscat, quæ non velit idcirco se⁶ expingere, ut neget appetitum. Quanquam & hoc Gentili pudicitiae familiare sit non delinquere, attamen velle vel etiam nolle, attamen non denegare, mirum: quia peruersa sunt omnia quæ à Deo non sunt. Videant igitur quæ totum bonum non obtinendo, facile & quod obtinent, malo permiscant. Vos ab illis, ut in ceteris, incessu quoque deuertere necessarium est: quoniā perfectæ esse debetis, sicut pater vester qui est in cœlis.⁷ Perfectæ autem, id est Christianæ pudicæ, apperitionem sui non tantum non appetendam, sed etiam execrandam vobis sciatis: primò quod non de integra conscientia venit studium placendi per decorem, quem naturaliter inuiatorem libidinis scimus. Quid igitur in te excitas malum istud? quid inuitas,⁸ cuius te profiteris extraneam? Tum quod tentationibus viam apperire non debemus, quæ nonnunquam (quod Deus à suis abigat) instando perficiunt, certè vel spiritu scandalum

CA. II.